



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 7. Amor Christi in nos communis, & æqualis. Ex Veteri, Novo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

ad instar mulieris parturientis; at peractò partu, cum se meritò mortis suæ resurgentem vidit, nosque similiter resurrecturos cognovit; mirè gavisus est, & magnò gaudiò Apostolos, & omnes Fideles, perfudit. Corn. hic.

Si tentationum sentis aculeos, exaltatum in ligno serpentem aneum intueri; & suge, non tam vulnera, quam ubera Crucifixi. Ipse erit tibi in Matrem; & tu eris ipsi in filium. S. Bern. ep. 351. ad Hugonem Novitium.

Mater omnium viventium Cruce pendens Sapientia, DEI latus aperuit; sicque peremptos ad vitam sacrosancti sanguinis sui profluvio revocavit. S. Petr. Dam. 2. ep. 18.

Accusabat foemina injulitiam PP. Franciscanos: quæ rei domesticae causata supellestem cum ampliore vellet, desiderabat receptum in illum ordinem Doctorem filium suum restitui; & filius maternis lacrymis factus cereus coram Crucifixo orabat, quasi valediceret, seu veniam peteret discedendi, sub specioso titulo Matris inopiae adjuvanda. At simul ex aperto Christi latere sanguinem, simul ex ejus ore voces, advertit: ego te carius nutrivit, quam mater tua: non me debes deserere propter matrem. Valuit cordi roborando ea vox, & ille instantione sancta nullis matris artibus potuit dimoveri. S. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 9. §. 7. Suge, inquit S. Bern. ep. 351. suge non tam vulnera, quam ubera Crucifixi: ipse erit tibi in Matrem; tu illi eris in filium. P. Nadasii anni Crucif.

## §. VI.

*Amor Christi in nos comparatur Gallinae.*

**I**n tegmine alarum tuarum sperabunt. Ps. 35. 8. id est, protectione, quam facis alis tuis; id est, in brachiis tuis extensis in cruce. Et alludit ei, quod dicitur Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare etc.* D his alis dicitur Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus & sanctas in pennis ejus.* In illis enim brachiis Christi sic extensis est sanitas: quia ibi nos sanavit à peccatis nostris. Hugo Card. hic.

*Ob umbrasti super caput meum in die belli* Ps. 139. 8. Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium: sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu, extensa est summa illa, & ineffabilis, pietas Domini nostri. S. Bernard. l. 4. in Psalm. qui habitat.

*Quemadmodum gallina etc* Matth. 23. 37. Gallina assidue gemit, & clocitat; ut, licet pullos non videas, Matrem tamen ex voce, & singultu, agnoscas: cum passeris, hirundines, ciconias, cæterasque aves, non agnoscas esse matres, nisi dum pullis in nido incubant.

Nullo alie aves sic infirmantur cum pullis suis, sicut gallina; in qua raucescit vox, ait Augustinus in Pl. 58. Fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, plumæ laxantur, & vides circa pullos nescio quid ægrotum: & ea est materna charitas, quæ invenitur infirmitas. Sic Christus congregavit omnes gentes, tanquam gallina

pullos suos; qui infirmatus est propter nos crucifixus, consumptus, &c. Cornel. à Lapid. hic.

Videamus, quid sibi hoc velit, quòd Dominus se gallinae magis, quam alteri animali, voluit comparare? Quia, ut à Sanctis Patribus tenetur, idèò factum est: ut exprimat incomparabilis affectus charitatis: nullum enim animal circa pullos suos tantà compassione movetur, sicut gallina: fit enim, totò corpore hispida, voce rauca, totò fervens animò, & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. S. Bern. tr. de pass. Dom. c. 5.

Alas habere Deus dicitur pro eo, quòd, more avis electos suos, tanquam pullos, sub se jungit, fovet, & ab insidiis diaboli, & malorum hominum, protegit. Pl. 16. 8. *sub umbra alarum tuarum protege me.* S. Anselm. de vestim. membris &c.

Quia Christus venerat congregare, sicut gallina, pullos suos, ovum protulit Verbi, per quod Ecclesiae germina sancta nutrentur. S. Petr. Chrysol. l. 55.

Extensis brachiis Christus in cruce totum corpus suum infra se positum complexus est; & sub alis crucis aggregatò genere nostrò; ibi & protegit, & fovit, ubi nihil posse putabatur. Et in quo virtus aestimatus est, maximæ victoriae vexilla crexit quia neque mors in eum usquequaq; prevaluit, neque Pater ullò modò negare Filio indulgentiæ privilegium potuit; quod ad pedes ejus prolata charitas postulavit. Moyses, cum levaret manus, vincebat. Ex. 17. 11. Arnold. Carnot. Abb. tr. de 7. verb. Dom.

Pulchrè se gallinae hic comparat, qui Herodem alibi vulpem appellat: *ne dicite vulpi illi.* Quemadmodum vulpes pullis insidiatur, ita Herodes Domino Jesu Christo juges procendebat insidias, ut eum morti traderet. Haymo hom. festo S. Steph. Extendit manus, ut in ulnas suscipiat, & congreget filios DEI dispersos. Theophylact in Matth. 27. 31.

Comparat se Dominus gallinae. Gallina fit ferox aquila, cum pullos suos ab aliquo lædi, aut tangi, perspiciat. Sic Christus se præbet ferocem leonem in eos, qui filios suos lædunt. Hanc protectionem notat David Ps. 30. 21. *Abstondes eos in abscondito faciei tuae à conturbatione hominum.* Philipp. Diez Dom. 3. Quadr. ter. 4.

## §. VII.

*Amor Christi communis, & equalis in nos.**Ex Veteri.*

**E**go sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob. Ex. 3. 6. Cur singulorum Deus esse dicitur, & eorum unicus; ac si non simul omnium existeret? & tu bone omnipotens; qui sic curas unumquemque nostrum, velut solum cures; & sic omnes, tanquam singulos curares, & diligeres, S. August. lib. 3. cap. 11.

DEUS

*Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me.* Ex. 3. 15. Orig. hom. 22. in Math. non dixit, Deus Abraham, Isaac, & Jacob; sed Deus; Isaac, & Deus Jacob Abraham Deus Abraham totum habebat Deum, Isaac totum habebat Deum, Jacob totum habebat Deum: ideo non dicitur in commune Deus eorum; quasi singuli eorum totum habeant Deum. Ita Deus est omnium, ac si uniuscujusque esset Deus tantum. Sylv. in Jo. 12. q. 4.

*Pones super mensam panes Propositionis in conspectu meo semper.* Ex. 25. 30. sed cur 12. & non plures? nec pauciores, & parvis magnitudinis, ac ponderis? Respondet Abulenſis q. 10. in c. 12. Matth. quia offerrebantur pro 12. tribubus Israel: & si unus panis esset major altero, putaretur, quod aliqua tribus erat apud Deum major, quam alia. Did. Nis. 5. Dom. 13. post Pent. §. 1. S. Chrysoſt. 2. de Ascens. Elias ascendens pallium reliquit Elifao; Jesus autem ascendens, gratiarum dona in Discipulos dimisit; quæ non unum prophetam, sed infinitos Elifaos, efficiunt; atque multo, quam ille erat, majores, & illustriores.

*Exaltatum est cor meum in Deo meo.* 1. Reg. 2. 1. Non simpliciter dixit in Deo, sed in Deo meo: sibi ipsi usurpans eum, qui toti orbi communis est. Dicebat Deus Ex. 3. 6. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Jacob; non contrahens suum imperium, sed extendens potius; quod non tam multitudine subditorum, quam eorum virtute, censerit vult. Neque enim tantum Deus cæli, & terræ, & maris, & eorum, quæ in eis sunt, appellari gaudet; quantum si Deus Abraham, & Isaac, & Jacob, vocetur. Et quod in hominibus non solemus, in Deo videre licet, apud homines enim à Dominis servi appellationem sumunt; & ita omnes ex more loquimur: ille, vel ille Procurator, aut dispensator illius, vel illius ducis, aut Præfecti; nemo autem sic loquitur: ille vel ille Dux aut Præfectus illius Procuratoris, aut Dispensatoris. Hoc & Paulus dicebat Hebr. 11. 16.

*Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum.* Quare non erubescit? quia hospites, inquit, sunt, & advenæ. Erant hospites, quod orbem universum despicerent; & parvi facientes terram, ad cælestem illam civitatem respiciebant. S. Chrysoſt. tom. 6. hom. de Anna.

*Ego flos campi.* Cant. 2. 1. id est, Virginis Filius. *Campi*, non horti: quia omnibus volentibus ad delectabiliter intuendum, ac suaviter odorandum, expositus, non in horto, non in lecto, vel in domo singulariter possidendus, vel inclusus. Hugo Card. hic. Flos horti clausus est; flos campi communis est omnibus. S. Bonav. 3. in refur. Dom. Floribus domesticis, qui inclusi sunt, nullus potitur, nisi Dominus; sed quilibet floribus campi pro libitu potiri potest; quia hi parvis, & magnis, communes sunt. Did. Stella de amore medit. 31.

*Sicut malus inter ligna sylvarum* Cant. 2. 3. Non dicitur malus conlita in horto concluso, sed in aperta sylva, vel sylvis: quia om-

nibus est exposita, omnesque possunt ejus pulcherrimo frui aspectu, ejus suavissimam fragrantiam recreari, ejusque dulcissimus fructibus frui. Lud. de Ponte hic §. 1.

*Una est columba mea.* Cant. 6. 8. Intendit sponsus discrimen magnum assignare inter reges, & principes sæculi, seu quosvis homines; & ipsum Deum: quod illi plurimas res habent dilectas, inter quas dividunt cor, & amorem, suum; ita ut quod in plures dividitur, eò sit minor singulis; Christus, est plurimas intrà Ecclesiam habeat animas, tanquam sponsas sibi dilectas; ita tamen singulas diligit, ac unam; & unam, sicut omnes; non partiendo amorem. Id. ib. Exh. 3. §. 3.

*Erudite Jerusalem; ne forte recedat anima mea à te.* Jer. 6. 8. Ubi vides, Deum seipsum appellare populi sui animam; quod ipsi, velut anima corpori, vitam inspiret; Et ex-pende: sicut anima tota est in toto corpore, & tota in minima parte: sic Deus cujusvis hominis salutem, ac totius Mundi conservationem, & bono, intendit. Incerto auctore.

*Ista est Jerusalem; in medio gentium posui eam.* Ezech. 55. S. Cyrill. Jerol. catech. 3. medium terræ est Golgotha. Non meus est hic sermo; propheta dicit: *operatus est salutem in medio terra* Pf. 73. 12. S. Chrysoſt. hom. de Cruce, & latrone: ne putares, pro illa tantum plebe, id est, Judaica oblatum Christum; ideo foras civitatem, ideo foras muros: ut scias, sacrificium esse commune. S. Leo l. 9. de Passione: ut Crux Christi, non templi ara esset, sed Mundi. Sylveira in Joan. 19. c. 13. q. 1.

### Ex Novo.

*Tibi est, qui natus est?* Matth. 2. 2. Sed ibi eum non invenerunt. S. Cyprianus: injuriam facitis Divinitati; si illum in domibus queritis. Non querendus in domo privata; sed foris: quia *flos campi* communis omnibus. Paoletti in festo Circumc.

*Pater noster, qui es in cælis* Matth. 6. 9. Hugo Card. *noster* dicit, non meus: ut ostenderet, quod non unius, sed multorum Pater est, & in hoc sublevar, & confortat, spes nostras. Pater quasi centrum domus suæ; à centro lineæ ducuntur æquales ad circumferentiam. Pf. 127. 3. *filii tui, sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ*; non est unus in angulo. Lud. Alvarez Joseph illustr. Jll. 30.

*Quia Dominus his opus habet* Matth. 21. 3. Necessariusne homuncio unus Creatori? tanti ducit Deus unum hominem, ut cum ipso quodammodo omnia possidere videatur, sine ipso nihil. Joan. 13. 3. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Theophylact, hoc est, quod credidisset ei hominis cujuslibet salutem. Matth. 21. 5. *Ecce rex tuus venit tibi.* Nota particulas: dicitur filia, tuus, tibi. Cur non dixit: venit omnibus? ut suum cuilibet homini ostenderet affectum, cuilibet homini se totum dat; quia quilibet Deo omnia esse videtur. Ant. de Escobar. tr. 3. Colloq. Chr. l. 8. obf. 3.

*Et multi in natiuitate ejus gaudebunt.* Luc. 1. 14. Quare dicitur, quod multi gaudebunt, & non omnes? Resp. Beda hic: notandum, quod natus Præcursore multj gaudebant; natus autem Dominò annuntiat angelus gaudium magnum, quod erit *omni* populo: quia scilicet hic salutem multis prædicare, ille omnibus, qui velint, venit donare. Hoc enim discrimen inter salutem; & bonum datum à Deo, & ab homine: quod enim est à Deo largitore, ad omnes se extendit; quod verò ab homine, ad paucos. Sicut etiam dixit angelus Zachariæ: *uxor tua Elisabeth pariet tibi filium* Luc. 1. 13. at B. Virgini: *ecce concipies in utero & paries filium.* Luc. 1. 13. Sed cur sicut Zachariæ, non est appositum tibi? S. Chrysol. f. 142. quia *Sanctum vocabitur Filius Dei.* Qui filius Dei est, omnibus nascitur: filius verò hominis particularibus tantum, scilicet tibi. lib. Sylv. hic q. 19.

*Missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Nazareth.* Luc. 1. 26. Quare Nazareth eligitur ad verbi incarnationem? R. ex Beda l. de locis Sanctis: Nazareth muros non habet; ideo generatur in ea rex cœli & terræ: verus enim rex debet esse in loco patenti, & manifesto; ita ut nullum detur impedimentum, quò minus sui possint ad eum accedere: & ideo dicitur *flos campi.* Sylv. hic q. 14.

*Salutavit Elisabeth.* Luc. 1. 40. Cur Christus Joannem, & non alium, visitat? Venit Dominus in utero matris suæ ad Joannem; & postquam natus est, venit ad Simeonem, Luc. 2. 25. Magna Dei miseratio, quæ nullum despicit; magnos, & parvos, visitat, omnes amplectitur. Sylv. hic q. 13.

*In templo sedentem in medio Doctorem.* Luc. 2. 46. Fons qui in media platea cunctis patet, plus commodi omnibus affert, quam qui absconditus est. Ita Christus semper reperitur in medio. Did. Stella hic.

*Et descendens cum illis stetit in loco campetri.* Luc. 6. 17. S. Bonav. descendit, & stetit in loco campetri, plano, & communi: ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam ejus. Sylv. hic q. 1.

*Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis.* Jo. 3. 8. Cur spiritus Dei magis spiritus sive æris, ac venti, quam ignis, aut aquæ, nomine describitur? ut instruamur, quam communis velit esse: nam cætera elementa quidem ad unius pertinere dominium possunt, ut dicat, mea est hæc aqua, meus ignis, mea terra; verum, meus est hic ventus, meus ær, nemo verè dicere potest; cum hæc nullius privatæ jurisdictioni subsint. Did. Nyss. Dom. 1. Quadr. §. 6.

*Vulpes foveas habent.* Luc. 9. 58. & *vulcras cæli nidus.* Filius Dei ubique in medio. Ipse non habet nidum, foveam ignorat, angulum nescit; locum illum eligit, undè pateat omnibus. Petr. Dam. ferm. de S. Victore.

*Multis autem turbis circumstantibus.* Luc. 12. 1. scilicet Christum; ita ut ipse fuerit in medio eorum, nullum repellens; Dion. Carth. hic.

*Transibat per mediam Samariam.* Luc. 17. 11. *Deus communis omnibus.* Transibat

per mediam Samariam, & Galileam, ut pari mensurâ lumen suum quaquaversum explicaret, pariterque se omnibus exhiberet. Clem. Alex. Exhort. ad Gent. nullis celatum est Verbum: lux est communis, omnibus; illicescit hominibus; nullus est in verbo cimmerius; Quæ postrema verba Gentianus Hervetus in Scholis sic exponit: Cimmerii populi Septentrionales sunt; qui, velint, nolint, coguntur perpetuò esse sub tenebris. Did. Nyss. D. 13. Pent. §. 1.

*Pax vobis.* Luc. 24. 36. Querit S. Laur. Just. l. de ag. Christi c. 26. cur in privatis apparitionibus Christus non sit preceatus pacem? Respondet: propterea: nè tollendo pacis materiam diabolus inveniret; quemadmodum & prioribus, ita & reliquis, voluit apprecari. Per pacem intelligit Christus omne bonum; inde non dat eam privatis allocutionibus, sed communibus: quia bona sua ad privatos non coarctabat Sylv. hic c. 4.

*Sic Deus dilexit Mundum.* Jo. 3. 16. Cur non dicitur: quod Deus dilexerit homines sed *Mundum*? Cajet: homo pars est Mundi; & bonum partis bonum est totius. Parque fuit ut Creatori Mundi assignaretur potius dilectio totius, quam partis. Nullus in Deo particularis affectus: Deus enim nihil magis intendit, quam misericordiam suam ad omnes extendere; nil magis refugit, quam quod particularitatis notam incurrere potest. Sylveira hic q. 50.

*Philippe, unde ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6. 5. Non prius de divitiis, aut nobilibus curat; sed aequè sollicitus est de omnibus: *ut manducent hi:* & ideo dignum regnò censet, *ut raperent eum, & facerent eum regem.* 1. Cor. 11. 21. *alius quidem esurit; alius autem ebrivus est.* Psal. 47. 10. *suscipimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* S. Aug. legit: in medio populi tui. Dan. 1. 10. *Timeo Dominum meum regem.* Quid timer Eunuchus? omnibus pueris æqualiter providere jussus fuerat: si ergo inæqualitatis judicium maridi vultus exhibeant, capitalem timer pœnam. Alvarez Jllustr. 30.

*Si quis sitit.* Jo. 7. 37. Non dixit, si qui sitiant; sed singulariter ad unum sitientem invitandum se accinxit. Chrysoft. si quis desiderat, hunc solum voco. Profectò, si vel unus homo sitiat, hunc voco, uni me totum impendam.

*Ego sum lux Mundi.* Jo. 8. 12. Deus est communis omnium. q. d. ex mente Hugonis, & Toleti: Sum lux Mundi, non Galliæ tantum, non Palæstinæ; sed Mundi totius: illuminans scilicet Mundum luce naturæ, fortunæ, gratiæ, doctrinæ. Did. Nyss. Sabb. post Dom. 4. in Quadr. §. 1.

*Ego sum via.* Jo. 14. 6. S. Thom. lib. 2. de regim. Princip. c. 12. viæ communes sunt omnibus jure quòdam naturæ; propter quod prohibentur à nemine occupari, nec ullâ præscriptione, nec ullò quòcumque temporum cursu, jus de eisdem possit alicui acquiri.

*Stetit in medio.* Jo. 20. 19. ad æqualem participationem, & visionem communem discipulis

pulis se condonans; & eos salutat salutatione, quâ eos alios docuerat salutare. *In quacun- que domum &c.* Luc. 10. 5. quod docuit, fecit ipse, qui fuerat resurgens a mortuis. Incer- tō auctore.

*Veni JEsus, & steteris in medio* Joan. 20. 19. Proprius locus JESU medium est; scilicet in cœlo, in utero Virginis, in pecoris præsepio, in crucis patibulo. In cœlo; unde Apoc. 7. 17.

*Agnus*, qui est in medio throni, id est, in sinu Patris; in utero Virginis Jf. 12. 6. *quia magnus in medio tui sanctus* Jfrael. Anton. de Pad. Dom. 1. Pasch.

*In similitudinem hominum factus* Phi- lipp. 2. 7. *hominum* dicit, non hominis: quia nullius singularis hominis formam in se suscepit, sed omnibus se coarquivit. S. Bern. serm. de Pass. Dom. Christus in universali hominum miseria pressus, & profundius se immerfit: idēo *habitu*, & omni habitu, *inventus est, ut homo*: nec in eo, quantum ad naturā debi- tum, signum aliquod singularitatis apparuit. Sylv. in Luc. 4. q. 7.

*In medio candelabrorum aureorum.* Apoc. 1. 13. Christus tam in veteri, quam novo testamento medium tenet. Jf. 12. 6. *magnus in medio tui sanctus* Jfrael. Joan. 1. 26. *medi- us vestrum stetit.*

*In medio candelabrorum*, id est Eccle- siarum: ut ostendat, se omnibus esse commu- nem, & à nemine recedere longius, ad neminem accedere propius; sed omnibus æqua- liter adesse, & prodesse. Galfrid. Alb. tr. 34. non dissimulemus, vel exculemus; in medio est, omnibus sese offerens, omnes, vocans. Quod si ille in medio est; quid tu miser angu- lum quæris, diverticula captas? omnibus sese Christus exhibet, medium omnibus offert auxi- liam, & exemplum. Sylv. hic. q. 41.

## §. VIII.

Libenter nobiscum manet.

Ex Veteri.

*Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti* Ex. 32. 32. Quid voluit Moyses, cum se deleri de li- bro Dei voluit? Rupertus ait, tantundem fu- isse, ac si, consuetudini illius renuntiare, ac nolle illō deinceps familiariter se uti, dixisset. Dulcis quadam comminatio fuit, & amica si- mulatio, nata ab experientia; quâ Moyses di- dicerat, quantum Deus oblectetur consuetudi- ne hominum. Rupertus ait: videre sibi vi- detur, Majestatem cœlis omnibus, ac terris tre- mendam, de folio suo surgere, & accedere vulneratō corde; rogare amicū quasi disce- dentem, nē deserat se; dicentemque: ego ostendam tibi omne bonum. Did. Niff. die Jovis Sancto §. 6. Id. in illud: *cum dilex- isset suos*. Tanti æstimet Deus hominem, ut velut oblitus angelorum, totas suas delicias in *amnis* hominis consuetudine positas habeat.

*Delicia mea esse cum filiis hominum.*

Prov. 8. 31. S. Laur. Just. serm. de Euch. ex- hibuit se, ut tuæ peregrinationis sit comes, ig- norantiae tuæ lux, infirmitatis tuæ remedium; tecum habitet, de te latetur, suis tecum deliciis perfruatur; quemadmodum testatur: *delicia mea &c.* Non quidem ut suas à filiis homi- num caperet delicias; sed ut cum filiis homi- num communicet proprias. Aloyf. Novar. Agn. Euch.

*Judica mihi ubi pascas, ubi cubes, in meridie.* Cant. 1. 6. Cui sponsus: *si igno- ras te, o pulcherrima mulierum, egredere,* & abi. v. 7. q. d. ait Justus Orgelit. Ne oberes, me extra te quarendo, ullō modō: in te quippe, ubi haestenus non quarebar, tan- quam in meridie, requiesco. q. d. Fierine po- test, ut hoc ignores, & quæras, ubi ego qui- escam? Te ipsam certō ignoras, quæ nescis, quod in te conquisco: cui omnis est in te unâ, ac solâ quies, omne solatium, & oble- tamentum. Idcirco noli deinceps quærere, ubi cubem; in te enim requiesco. Did. Niff. die Jovis S.

*Ostende mihi faciem tuam* Cant. 2. 14. Quid exis à dilecta o dilecte? nunquid non sapius decoram faciem ejus vidisti? cum dixisti ei: *pulchra es amica mea* Cant. 1. 14. *pul- chra sunt gēra tua.* v. 9. Nunquid non vo- cem ejus audisti? quæ crebro tibi locuta est; cum dixit: *osuletur me osculo oris sui* Cant. 1. 1. *trabe me post te* v. 3. pulcher es dile- cte. Cur ergo rursus petis: *ostende &c.* sed ardentem se amantium hoc est, ut nunquam mutuo aspectu, & colloquio fatientur; sed semper se amplius conspicerent, & alloqui, concupiscant. Lud. de Ponte hic Exh. 26.

*Quam pulchra es amica mea!* Cant. 4. 1. & mox subdit: *veni de Libano, spon- sa mea, veni.* v. 8. Cum eam vocat pul- chram; utique cum præsentem loquitur. Cur ergo, tanquam ad absentem, dicit: *veni!* S. Bern. f. 29. in Can. vehementis affectus argu- mentum est, quod tertio vocat. Vocat eam non quod abesse; sed quia aliquantulum dista- bat: præ amore propinquiorem sibi cupit; etiam parvam distantiam non ferens. Sylv. in Joan. c. 20. q. 6.

*Vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus; butyrum, & mel comeder.* Jf. 7. 14. 15. Id est, plurimum se oblectabit. q. d. Quando, verbum caro factum, cum hominibus conversabitur; tunc suas voluptates ex eorum consuetudine habebit; tan- quam si butyrum vel mel comederet: de quo tamen scimus, ad quantos dolores sit natum, & destinatum. Did. Niff. Sabb. post Cin. §. 4.

## Ex Novo.

*Simile est regnum cœlorum homini Pa- trisfamilias* Matth. 28. 1. Dicitur *Deus ho- mo* propter amorem, quō homines diligit: & quia hominum est conditor. Insensibilibus cre- aturis omnia simul Deus in principio dedit; soli- torum splendorem; lunæ, stellis, ac cœlo, om- nem.